

L VII 194



210/53

57-100.

57.
Quæ Res bene vortat
P. MANIBUS!

INOPINAM

VIRI

Nobilis, Amplissimi Gravissimiq;

**DNI CHRISTIANI
ALBERTI,**

**Jcti & Curia Provincialis, quæ Gorlicii
est, ultra annos XXXV. SECRETARII**

longè spectatissimi,

ictu sanguinis Anno Ætatis L XVII mo,

*quum auspicas jamjam Filia natu quartæ
pararet Nuptias,*

Die nempe XXI X. Octobr.

Anni Christiani c I o I o c LXX.

circa horam IV. pomerid.

perempti, ipsoq; statò Nuptiarum Die,

Die III. Novembr.

tumulati,

MORTEM

colligent pariterq;

INOPINAM BEATO VIRO QUIETEM

congratulantur

GYMNASII GORLICENSIS

MAGISTRI.

GORLICII

TRYPIS CHRISTOPHORI ZIPPERI.

EPITYMBIUM
VIRI
AMPLISSIMI
DNI CHRISTIANI ALBERTI,
Jcti & Curia provincialis in Ducatu
Gorlicensi, dum in vivis erat,
SECRETARII
longè Spectatissimi.



Vanitas! O vanitatum vanitas!
Flos Civitatis, Fax Themistis splen-
dida,
Sed & Minervæ dulce Delicium Deæ,
Decus superbum Phoebi, amicus &
Symmysta juris, Musici micans poli (sacri
Jubar, sciebat qui catè forensibus
Miscere curis Virginum curas novem,
Fontisq; equini rore tingebat Dicen,
Quem sedibus dudum locârat astricis
Pietas, Fidesq; Morum & ipsa integritas,
ALBERTUS, in tumbâ hac recumbit SANGUINIS
Peremptus Ictu, bellulæ quum nuptias
Jamjam pararet auspicas filiaë,
Humatus & ipse hac Die, quâ lucidæ
Tædæ per ædes PRONUBO arsuræ DEO.

Sic

Sic nil sine interrupto ab axe Cynthius
Sub Sole filo, nil perenne conspicit:
Proponit humanum Genus, disponit &
Funesta miscet latioribus DEUS:
Tellure quicquid eminentius cluet,
Et quicquid heic jam cogitatum est optumè,
Tagace carpit ungue, rumpitq; invida
Repente Parca, dissipatq; licia.

O vanitas! ô vanitatum vanitas!

Abi VIATOR, desinens Tibi tuæ
Diurna vitæ fila pollicerier.

*Memoria conservandæ ergò
Æternitatis-hodie-Candidato
extruit*

CHR. FUNCCIUS,
Gymn. Gorl. RECT.

Sicut per ventos agitatus in equore nauta
Sentit multiplices, in sua fata, minas:
Sed vento placido letus mare tranat apertum,
Nec per sevitiam magna pericla subit:
Sic homo, per casus & per discrimina rerum
Tractus, mox haurit gaudia, mox gemitus.
Lethiferis morbis nunc discruciat & idem:
Debita natura solvit & ille sua.

A 2

Exper-

*Expertus satis est praestans ALBERTUS in Orbe,
Quid morbus, quid fors, quid medicina queat.
Hinc subito vitam mutavit morte beatâ,
Et mundo dixit, per pia fata, Vale.*

*Tristissimo, devotissimo animo &
calamo adponebat*

*DANIEL Wank / Gymn.
Gorlic. Pro-R.*

Mors scilicet una revelat,
Humano quantula gestent
Corpuscula sanguine creti,
*Pietatis Amasius acer,
Peithûs, DENATUS, ocellus,
Sanctæq; Themistos Asylon,
Sua cui Secreta SENATUS
Commisit EQUESTRIS APOLLO,
Benè sospite corpore sospes
Nuper florebat in urbe.
Nunc vero emarcuit hic flos,
Fati sicilice resectus.
Sed VOS confidite, quotquot
SOCERI, PATRIS atq; MARITI
Fususq; necemq; doletis.*

Mun-

Mundi satur atq; laborum,
Vita satur atq; dolorum,
Comites quos illius esse
Sanorum nemo negabit;
Satur ejus, quicquid honorum est,
Stellantia templa subiuit,
Unde ortus, Spiritus Ejus.
Nuper si mystica Cœna
Animam recreavit anhelam;
Jam cœlica pascit eandem,
Non amplius ejus egentem.
Animalis corporis artus,
Quos jam tegit arida tellus,
Olim revirescere vivos
Continget, idemq; beati
Compos recreabitur ævi,
Divinis dotibus auctum.

Ἐπιτύμβιον.

Quod mortale VIRO fuit, isthæc contegit urna:
Virtutum prohibet Fama tropæa mori.

Beatos beatissimi DN. ALBERTI

Manes veneratus, Ὁσμυθνοσό-
μεν & scribeb.

M. ABR. VECHNERUS, Con-R.

A 3

O res

O Res Terrigenum dubia! O molimina vana!
Plausus ut in *lausum* degenerare solet!
En! bona quem tenuit spes, junctum protinus iri,
Se vivo, Gnatam per Sacra læta Viro:
Illum præproperæ mortis vis acrior urfit:
Cordoli ut fieret caussa inopina Suis.
Quare Homo, quisquis adhuc traducis tempora vi-
Rebus ita in terris invigilato tuis: (tæ,
Ut nusquam & nunquam mortis sis immemor: *hora*
Namq; suprema potest qualibet esse tibi:
A qua (ceu passim perhibet sacra Pagina) *pendet*
Sive perenne Bonum, sive perenne Malum.
Hoc bene perpendit, nulli pietate secundus,
ALBERTUS, Themidis Pieridumq; Decus.
Hinc male non potuit Mundo valedicere: nam *mors,*
Quam bona præcedit vita, mala esse nequit.
Omnibus inde licet fructus solaminis amplos
Carpere, quos mœstos flebile funus habet.
Quippe Socer, Genitor, Conjux, Affinis, Amicus
Dum vitam amisit, repperit ipse, citò;
Scilicet *eternam* pro *fluxa*: ubi plaudit ovatq;
Vani eluctatus rostra molesta Fori.

Συμπαιδείας ἔνεκα
scribeb.

MARTINUS RICHTERUS,
Gymn. Patr. SUB-R.

Si

S *I pietas, si clara fides, si varus in aeo*
Vim lethi candor tollere posset humo:
Non cecidisset Homo nulli pietate secundus:
Esset in his terris non sine laude super.
At cum nemo queat necis aspera tela fugare
Viribus Herbarum vel Medicantis ope:
Occidit Et nostri Deamans. Meliora precanti
Defuncto placide da quocq, Christe, mori!

* * *

D Wandel der Natur! O Unbestand der Erden!
Der ist am Leben war/ muß bald zu Aschen werden!
Also ist es bewand/ so schlägt der Tag die Nacht/
Und diese wiederumb des Tages helle Pracht.
Es folg't auf Freude Leid/ auf Leid ist Freud' zu hoffen/
Ja bald ist wiederumb die Freude ganz ersoffen:
So unbeständig ist der Wechsel dieser Zeit/
Daß auch/ was lebet nur/ nichts ist/ denn Eitelkeit.
War Hymnen nicht bereit ein Hochzeit-Lied zu spielen?
Die Fackeln ihrer Pracht begunten schon zu zielen
Auf diß/ was Freud' erweckt. O schwarze Todes-Nacht!
So unbarmherzig ist dein' unbestirnte Pracht!
Es mach'ten sich von fern' / die sich Bluts-Freunde nennen/
Zu krönen dieses Fest/ die Schuld' zu bekennen/
Doch mehr als allzuspät: Es lieget schon gestreck't
Das Haupt der Freudigkeit/ mit schwarzem Holz bedeck't!
Das düstern Leichen-Licht hat sich vollend verkrochen/
Es giebet keinen Schein/ die Augen sind gebrochen/
Des grimmen Todes-Streich hat durch verboste Hand
Gegeben/ daß der Leib gescharr't wird in Sand.

O Jam!

O Jammer! Leyd! O Schmerz! wer wolte doch nicht klagen?
 Ein Stein/ wenn er nur könt/ würd' eben dieses sagen:
 Wo Freud? wo Lustbarkeit? ist wird ein Grab-Lied drauß/
 Mit welchem man besingt das Jammer-volle Haus,
 Es möchte ja das Herz von grossen Trauren bluten/
 Die Augen möchten auch mit heissen Thränen-Fluten
 Befeuchten diesen Tag / darinn vor Fröligkeit
 Der Thränen-Presser nur anrichtet Herzeleid.
 Doch/ freche Brust/ halt an! des Himmels frohe wincken
 Heist durch der Augen-Schluß zur schwarzen Erde sincken
 Auß Schuld/ den Seeligen/ zu geben diesen Kuß
 Der Mutter/ die ihm zeigt' zu fallen so zu Fuß.
 Er lebet schon in Freud: Er wartet ohne Sorgen/
 Bis kommen wird der HERR mit seinem grossen Morgen:
 Er schreiet mit Begier: Weg/ weg/ O schnöde Welt!
 Ich lebe schon bey GOTT im schönen Sternen-Zelt!

Dieses sagte sein mitleidendes Gemütthe
 schuldigst zu bekennen eiligts hinzu

Christoph Möller / p. t. Cantor
 & Chori Musici Director.

*Heu! fallacis fallacia gaudia mundi!
 Ut modò comperies: sunt mala mixta bonis:
 Dum tædas NOSTRIS & spondas ritè paramus,
 Mors tumbas NOBIS insidiosa parat.
 Ad Superùm qui epulas placida sic morte vocantur,
 Hi benè pascuntur nectare & ambrosia:
 Queis pius ALBERTI, cælum translatus, abundè
 Jam fruitur, Domino & gaudet ovatq; suo.*

Cui

*Cui nos condignos meritò gratamur honores,
Quorum participes nos velit esse DEUS.*

M mqs; m. adjungeb.

MATTHÆUS SEYLERUS,
Civ. & Schol. Gorl. Patr. Coll.

DUm Natae thalamus, tumulus simul atq; paratur
Patri, Gorliciae qui decus Urbis erat,
Accensurus erat tædas hoc, carmin læta
Pacturusq; die connubialis Hymen.
Sed Libitina domum fera funestavit, amandæ
Dum Sponsæ Patri fata inopina tulit.
Nemo rimari potis est *Secreta* JEHOVÆ,
Qui semper rectè, quod facit, omne facit;
Tempore quod raptus sit *Secretarius* illo,
Filia quo thalami foedus inire parat.
Heu! nunc carminibus pro lætis nœnia tristes
Auditur: SPONSI fletibus ora rigant.
Ædes ALBERTI nunc atra Cupressus obumbrat;
Non hîc est Gnidiæ Myrtus amica Deæ.
Lætus Hymen mœstas fugit, averfatur & odit
Cupressos, poni quas Libitina jubet.
Occulit hinc tædas, & projicit omnia ferta,
Queis ornatus erat, deserit atq; domum.
Cras rediturus Hymen (Cupresso nempè remotâ)
Sed præter solitum tristior ollus erit.

B

In

In Nuptiis Natæ Genitor quot signa dedisset
Lætitiæ: sed jam gaudia vera capit.
Scilicet in Nuptiis cœlestibus ille triumphat,
Et dat lætitiæ plurima signa novæ.
Delectabatur s̄vavi modulamine cantus
Harmonici, donec vita superstes erat.
In cœlo cantus dulces nunc audit, & ipse
Angelicos inter cantat, ovatq; choros.
Felix, qui fruitur Epulis cœlestibus, atq;
Auribus Angelicum percipit usq; melos!

*In condol. syngraphum dolorisq;
lenimentum scribeb.*

ANTONIUS Schmidt.

Concessit fatis, heu! Secretarius, usq;
Munere qui functus, non sine laude, suo.
Hunc lugent Uxor, Gnata, Generiq; verendi,
Nec non humectant imbri frequente genas.
Quàm sit vita fugax, incertaq; funeris hora,
Eheu! exemplò nos docet ipse suo.
O tristes Generi, Natæ cum Matre colendâ
Tergatis tandem lumina vestra, precor.
Reddetur Vobis Genitor, Socer atq; Maritus,
Ultima cum toto clanget in Orbe tuba.

Condolens appof.

THEOPHILUS VECHNERUS.

Co

Schrit denn schnelle nun bey den Hochzeits-Gedanken/
Die irdisch waren hier/ Herr Albert auß den Schranken
Der Sterblichkeit/ und geht zur Himmels-Hochzeit ein/
Die Ihm auf diese Zeit bestimmet mußte seyn.

O seelger Wechsel/ den Herr Albert hat getroffen!
Er/ Er geneußt ist schon/ was wir noch müssen hoffen.
Betrübte trauret nicht zu sehr! Der liebe Mann
Ist hingelange/ wo Er die Sterne treten kan!

Alexander Vogel/ Gymn. Coll. IX.

O Dolor! heu cecidit lethali falce recisus
Vixit gravis, & verus veræ pietatis amator.
Sed quò migravit? Cœlos: ubi mansio fixa est.
Angelicis inter turmas nunc ille triumphat,
Et res humanas è Cœlo despicit alto.
Exuviis requiem terræ sub mole precamur.

Condolens scrib.

Erdmann Milchner/ Sorâ-Lusatius.

Nimirum totò tempestas turbida cœlo
Gorlicio casum prodidit hunc subitum:
Aut variè Auctumnus, qui tentat corpora nostra
Gorlicio casum prodidit hunc subitum:
Aut equidem, ut referam vero non dissona verba,
Prævidit casum Filia chara Patris:
Per tenebras noctis monuit dum pectora Morpheus,
Sacra parâsse sibi, fato obiisse Patrem.
Sed non deposuit regnum: mutavit id ipsum:
In CHRISTI gratis regna receptus abit.
Amplius haud relevat sperato corda Clientum
Auxilio: ut meritò hâc voce sequantur eum:

Tertulliano
Lib. de animâ
cap. XLVIII.
audit Au-
tumnus ten-
tator Galetu-
dinum.

Ambrosius
Lib. V. Epist.
III.

Currite, proh! nostra est Fatis eversa Columna,
 Palladium ereptum, diruta nostra Pharus.
 O utinam, susa hæc non pectore dicta fuissent!
 Currite, proh! capitis nostra corona cadit.
 Omnes iccirco lacrumarum flumina mittunt,
 Omnis ob illius funera mæstus adest.
 Verum tristitiæ maculas extergite cunctas:
 Post sparsas lacrimas gaudia mille metit.
 Est etenim beato Defuncti anima, ubi, pronunciante Damiano,
 Absit limus, deest fimus, lues nulla cernitur,
 Hyems horrens, æstas torrens ubi nunquam sæviunt:
 Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum:
 Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum:
 Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt:
 Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatum:
 Pendent pomæ floridorum non lapsura nemorum:
 Non alternat Luna vires, Sol vel cursus siderum:
 Christus est felicitatis urbis lumen innociduum.

GEORGIUS Teifel/ Annabergâ-Misnicus
 p. t. Gymnasii Alumnus.

ARdebat calidis Musula psallere
 Votis hæc die Festa Hymeneia,
 Chordis atq; novis, quæ DEUS, omnia
 Nutu qui regit, ex sede suâ VIRO
 Misit, quem docuit solvere nodulos
 JURIS Diva THEMIS: Jamq; animata erat
 Tædas dicere Clius tenuis meæ
 Lenis Tibia. Comœdia sed cirò,
 O fatum grave! nunc facta Tragœdia,
 Tristes Melpomene præcipit ac jubet

Dum

Dum cantus: quoniam dura *Necessitas*
Inniti rapuit fronte VIRUM, heu! VIRUM,
Quem *Candor, Pietas, cana Fides, VIRUM,*
Virtus astrimicis quem faculis Poli
Junxit, quemq; *Patronum Clarii Chorè*
Eous pariter vidit & Hesperus.
HUNC Parca rapiunt. *Justitiæ soror,*
Incorrupta Fides, nudaq; Veritas
Quando ullum inveniant huicce *Viro parem?*
Ergo *Pterides* plangite funera
ALBERTI: Cecidit, Vah! cecidit vetus
Candor! Dignus erat Mygdonios dies
Annos & Pylis vivere Nestoris,
VIR, qui *Lux Patriæ, qui Decor inclytæ*
Urbis: sed cecidit! *Scena filet cata*
ALBERTI: Mea nunc *Musula* plangito.
Hinc *Pallas* quoq; suspiria luctui
Adjungit socio: *Delius & dolet:*
Præ mœrore valet verba *Minerva* vix
Fari docta: *Camœnæ* quoq; singulæ
Lugent. Nempe bonis *flebilis* occidit
Multis: *flebilior, quàm MIHI, nemini.*
Ah! concessa mihi copia si foret,
Vellem *Mœoniâ* dicere jam tubâ
Illum, *perpetuus quem sopor occupat.*
Alter nonne *Parens* (sensa animi intima
Pandam planius ac pleniùs) hic *mih,*
Dum vixit, fuit? Ast eripuit *mih*
Illum *Persephone.* *Melpomene* ô mea,
Non invisâ mihi, jam venias, simul
Et mecum lacrimas fundito debitas,
Fautori secuerunt rigida meo

Parca stamina, quæ parcere nesciunt
 Ulli Terrigenum. Næ omnibus est suus
 Casus: *Morta*, licet sera, tamen venit
 Et non emanet: Orbis patulus tenet
 Immune à truce nil imperiò necis:
 Sed calcat pede sævò *Atropos*, aureus
 Quæ Sol cunq; videt, Lunaq; pallida.
Minos torvus, atrox *Æacus*, ipseq;
 Immitis *Rhadamantus* minus est atrox,
 Quàm Lex *Sarcophagi*. Plura quid? omnia
 Subsint nata jugo quod rigidæ necis,
 Constat, Quid querulâ voce *domestica*
 Ergò *Gens* vocitas exanimem *Patrem*?
Mors tristis rapuit semper amabiles
 Præclarosq; *Viros*. Huc rapimur simul
Cuncti. *Parcite* Vos planctibus, ô piè
Mæsti! Vos moneo, sistite lacrimas:
 Stellis æthereis inseritur sacra
Mens Ejus: liquidò *Nectare* pascitur
 Et dulci *Ambrosiâ*. Non obiit, suo
 Sed vivit *Domino*: *Cerberus* huic latrans
 Nullus, pallida nec *Tisiphone* incutit
 Terrorem: astriferi lætitiis *Poli*
 Sed semper fruitur. *Parcite* planctibus!

GOTTHARDUS PFENDLERUS,
 piè defuncti Beneficiarius
 per quinquennium.

DUm gradum heic sistis tumulumq; terra
 Hunc novum lustras oculis acutis,
 Quere, quis tectus jaceat sub isthòc?
 Fesse Viator.

ES

Est homo; sicut fragiles sumus nos?

Ipsa mortalis genitus fuit qui,

Omne mortalis breve duxit ævum,

Lumina lassa.

Morte mortalis placidâq; clausit.

Integet quamvis, studiis politus,

Iussa & observans superi Monarchæ

Extiterit Vir:

Id tamen fatum subiit repentè,

Ferre quod cunctis miseris necesse est.

Sed, Patris magni quoniam voluntas,

Est benè factum:

Est enim liber variis periculis

In polò, & convivit apud DEUM nunc,

Quem videt lætis oculis potentem

Indefinentur.

ANDREAS RICHTERUS, Gorlicio-Luf.

Quis novus ille iterum resonat per compita planctus?

Unde fit, ut mœsto suspiria pectore ducat

Incola Gorlicii? Gemitu quo personat æther?

Quare, addo, incedit pullato cinctus Apollo

Tegmine? Cur vultu Musarum turba dolente

Comparet? Pietas cur flet, Themis ipsaq; luget?

Fallor? An eripuit diro Libitina furore

Grande Decus quondam Patriæ, Virtutis Atlantem?

Sic est ALBERTI, pietatis Amator amandæ,

Cura Novensilium, non ultima Gloria Juris,

Debita, deposito naturæ pondere, carnis

Solvit, qui Pylios dignus vixisset ut annos.

Cernis, ut extinctum lacrymosa Marita Maritum

Lugeat, ob Socerum Generi ut lacrumetur ademptum:

Cernis,

Cernis, ut exequias deploret *Nata Parentis.*
Sed mihi jam videor bibere aure hæc verba *Beati;*
Vestri cur lacrymis oculi rorantur abortis,
O mœsti? Mea cur maectatis funera fletu?
Duxit in astrimici me Jova palatia cœli,
Nullus ubi luctus, sed jubila mille triumphant.

CHRISTIANUS Hauffe / Gori.


T*R*istia quàm tristi passim dominantur in Orbe,
Et quàm præcipites currentia secula casus
Nunc agitent; curvis hominum notissima res est.
Exemplum præbet Juris Legumq; peritus
ALBERTI noster, rapuit quem Parca triformis.
Sed benè! Quod cœli suscepit regia Nostrum
Illa, ubi Cœlicolas inter sine fine triumphat,
Relicto mundo, verè æternumq; beatus.

JOH. PEUCERUS, G.L

Grab-Schrift.

Lagst du / mein Wanderer / wer dieser sey gewesen /
Der in der schwarzen Grufft isunder muß verwesen?
Es war ein solcher Mann / der jederzeit geliebt
Die Frömmigkeit / und sich in Gottes Wort geübt.
Ja diß / was Hiob that / hat Er in acht genommen /
Und vielen Armen offt / die nur seyn zu Ihm kommen /
Geholffen treulich fort. Und diesen hat nu Gott
Von uns hinweg gerafft durch einen sanfften Todt.

CHRISTIANUS JACOBI,
Bojanov. Pol.



11

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id447095641/20>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK